

1978

N

11

[5711]



78 N 11 [5-11]

#

79

AD

VIRVM ILLVSTREM

DANIELEM GVILIELMVM

TRILLERVM D

CONSILIARIVM AVLICVM REGIVM

ET IN ACADEMIA VITTEBERGENSI

PROFESSOREM MEDICINAE PRIMARIVM

AMICVM

EX PRISCIS ACADEMICIS

NVNC FERE SOLVM SVPERSTITEM

QVERELA DE TEMPORÈ

D. G. G. RICHTERI.



Kapsel 78 N 11 [5]

AK

G. K. gen.

1754 B. 1448



DANIELLEM GUILLELMUM

TRILLERI quae fata mei sint, ardeo scire,
Richterique ille sui noscere fata cupit.
Dulcia amicorum rupit commercia bellum,
Littera per dubias haesitat ire vias.
Clam genitus migrant illuc & fausta precantur,
Clamque pios gemitus inde redire puto.
Tantillum satis esse nequit sitientibus undae,
In labris durum est mollia verba mori.
Sic tua non ad me, mea vox non transit ad Te
O TRILLERE diu. Secula lapsa queror.
Et nunc ecce senes, qui pacis amantibus artes,
Fortuna instabili iactat utrosque sinu.
An valeas, ne forte neques, inquirere cunctor,
Namque inter patriae vulnera nemo valet.
Quin gremio eiectum, quo nil Tibi carius exstat,
Cum cum sebolis suspicor esse tuis.
Nam quis honor Coi? quis cultae gnaviter artis?
Dum trecenta hominum millia bella gerunt.
Plures armorum furor uno intercipit anno,
Quin unus numerat funera plura dies;
Quam quot retraxit fatorum a limine Cois,
Vel reuocant medico foedere mille manus.
Vabquid mille manus? quando agmina mille trucidant.
Lubrica nunc res est viuere, prompta mori.
Multum habet in bello sanos occidere laudis,
In pace aegrotos arte leuare parum.

Cur

Cur hoc? an leuis est, verbisque manuque mederi,
 Splendidior vitae scindere fila labor?
 Nempe animae viles heroibus esse videmur,
 Humano corio ludere fortis auct.
 Ludere se coram pueros vult Ioab & Abner,
 Hoc est, alterna caede perire iubent.
 Marcet & emoritur Regum sine sanguine laurus,
 Fotibus his crescens fronde comisque vires.
 Heu quoties tragicis concurrunt agmina signis!
 Tormentis quoties nocentia quassa ruunt!
 Dumque volubilibus victoria passibus errat,
 Castra sub hybernis mensibus vsa videt.
 Vos, quibus arguitur protracti terminus aevi,
 Tanquam inter longas sabula parua moras;
 Quorum iudicio diuina haec munera lucis
 Negligere extremae est improbitatis apex;
 Cum vel Naturae monitu custodia maior
 Ex reliquis nulli sit tribuenda rei;
 Conicite huc oculos, vbi ferri ignisque potestas
 Horrendis homines stragibus interimit.
 Et ruit ante diem per biantia vulnera corpus,
 Quod stabile baud raro Nestoreumque fuit.
 Hic nisi morigeras belli fragor obstruit aures,
 Imis hoc animis insinuate nefas.
 Nos inter lituos Reges veneratione & arma,
 Plus belli acrumnas damnaque flere decet.
 Ascendunt gemitus. Non est sine iudice Princeps,
 Qui vitae humanae prodigus arma capit,
 Et lucro incerto tot perdit saepe salutes,
 Gloria quot victrix non reparare potest.
 Ne pergam querulus, prudentia vellicat aurem,
 Quaeque vrunt, animo clausa tenere monet.
 Sub tacito luctu tantum obuia credere chartis
 In portuque olim commemorare iuuat.
 Hic TRILLERE vides, quae scripsi instante procella,
 Fac, tua quae fuerint tum quoque sata, legam.

Astera

Aspera nunc inter titubat constantia mentis,
Ad gelidos luget squalida Musa focos.
Mauortis soboles inflat. Sub turbine belli
Armant hostilem ferrea iura manum.
Quid priscae superest decoris nisi flebilis umbra?
Stant viduae cathedrae, templaque clausa silent.
Olim quae fuerant animarum pascua, nunc sunt
Horrea corporei fruge referta cibi.
Exarmat nostras moles peregrina palaestras,
Haec quis agnoscit Palladis esse lares?
Hippodromum quam tetra lues & plena pudoris
Incolit, infectis non sine strage minax!
Militis ingressu nostras exemerat aedes
Ipsorum belli littera scripta Ducum.
At qui terga dedit fugiens iam miles ab hoste
Praeclusas quondam coepit adire domos.
Haec mea in hospitium suscepit equosque virosque,
Quinque viros habuit nuper equosque decem.
Nec stabulum nec equos, credo, per secula vidit,
Quod stabulum non est, ars tamen aptat equis.
Mox venero alii. Sic dum nouus imminet hospes,
Quis studiis animum posse vacare putat?
Coguntur ciues, quorum plus sorte mouemur,
Musei haud raro cedere iura sui.
Tabescunt lectu, quibus illaetabile tempus
Tardat adhuc pacis munera, tardat opem.
Musarum & Martis longe certamina distant,
Arma scopo aduerso miles uterque gerit.
Huius sub signis infestus fulminat ensis,
Et spolia hostili sanguine tincta refert.
Illis humanae cordi est tutela salutis,
Inter se sancto foedere membra ligans.
Vt sapiant animo, valeant & corpore, ciues,
Ius, virtus, pietas sobrietatsque docent.

Haec

Haec doctrina nequit nutrire incendia belli,
 Nemo offensarum dixerit esse ream.
 Hinc noxae ignaris solet aequus parcere victor,
 Promissamque semel non violare fidem.
 At vaser interpretes mutilat, quae pacta fuerunt,
 Idque ministerium poscere Regis ait.
 Heu nos tam sancto delusos nomine! tristes
 Discimus, ut nuni regia verba valent.
 Quin hilari cultu luctum celare iubemur,
 Dum grauius multos aspera fata premunt.
 Amplecti ut mitem dextram victoris oportet,
 Nam prope nos alius durior illa fuit.
 Quis oculi tantum stentes sua damna supersunt,
 Et corpus lacerum est ac spoliata domus.
 Hi vero adfundant trepidae solatia menti?
 Hi magis astitisti vulnera nostra leuanti?
 Solamen miserum est, spectare hoc gurgite mersos,
 Mens & ad alterius vulnus honesta gemit.
 Post tricennalis lugubria tempora belli,
 Cuius adhuc omnes horrida scena mouet,
 Ingressa bis campis non sunt hostilia castra,
 Incubuit nunquam tam numerosa pbalanx.
 At qui Westphalicae pacis se iura tueri
 Iactat, pacificis haec tamen ipse negat.
 Traiiciendarum color obrentusque cohortum
 Consilia exsequitur praemeditata diu.
 Et quod oportebat fines defendere, belli
 Causa fit, armatis non patuisse viam.
 Quam Te dissidii, Germania, crimina foedant?
 Maternum proles sauciat ipsa suum.
 Intra non tantum est discordia nata, sed extra
 Hostilem in praedas allicis ipsa manum.
 An speras, hostis per tot tibi secula noti,
 Ciuile ut bellum sopiat, esse scopum?

Granicum

Granicum ut Macedo, sic transit ille Visurgin,
 Inque loca irrupit non sibi tacta prius,
 Non sibi iniustitiae violatae cognita naevis,
 Sacra sed ut Domini sic procerumque file,
 Haec loca nuper erant patriae communis ocellus,
 Pacis ubi sedes semper amoena fuit,
 Quam licuit nobis traducere leniter aequant,
 Quam nostrum texit Rexque Deusque caput,
 Pindi huius coelum quatuor per iustra serenum
 Nil meruit tenebris occulti que iubar.
 His frueremur adhuc, si vindex pacis abesset,
 Ore gerens pacem, bello gerensque manus.
 Quam miles per agros turmatim effusus & verbes
 More cicadarum nostra vireta regit,
 Intra aedes insultat hero. Quot oluscula poscit,
 Quam scit hero melius, quid sit edule domi,
 Radicesque legens reliquam spem destruit horti,
 Plurima, quae non sunt falcibus apta, merit.
 Haud paruo micat igne focus, sunt praeflo culinae
 Testae, craticulae, follis, abena, veru.
 Quae forsitan desunt, grauia inter iurgia poscit,
 Et male fert lacrymas obsequiique moram.
 Plus rapit extra vrbes impune armenta gregesque,
 Indigenae tenues rura colentis opes.
 Lex silet, arma valent. A iudice saepe repulsus
 Vim, spolia & caedes cuius inulta videt.
 Nec ferit oclusas iteratis questibus aures.
 Tam surdas quid enim sollicitare iuuat?
 Inter se potius gemebundo murmure confert,
 Istos, qui nunc sunt, quine fuere, dies.
 Fertilis inter opes anni penuria regnat,
 Vixque famem Cereris munera larga leuant.
 Quid mirum, cum vis belli res fregit edules,
 Oraque, quod reslat, tam numerosa petunt,

*Si gula ranciduli nescit fastidia victus,
Appetit & latrans mucida frustra fames.
Qui dedit ante aliis, is ad ostia colligit assem,
Igniculosque foco iurat abesse suo.
Urbs nostra elapsi tot funera computat anni,
Quot multis retro se numerasse negat.
Quam graue surgit onus! Spes anni angusta futuri est.
Ne careant, metuo, frugibus arua nouis.
Vix bobus licuit vel equis ad aratra venire,
Vix tam squalenti spargere semen humo.
His quidquid curis inseruit, seruit bossi,
Quin & continuum tabuit inter opus.
De macie hinc pecoris, morbis & morte queruntur,
Estque boam passim prisca renata lues.
Quod frugum superest, bossis granaria complet,
Nostra paupimentis granula sparsa iacent.
Est illi modius, nobis mensura manipulus.
Annonae leges utrius esse putas?
Fons olim recreans sitit ipse & postulat undas,
Punica exhaustis imminet ariditas.
Arque haec securi nimis exspectasse videmus,
Torrenti baud obicem sat posuisse cito.
Sub trifidi euentu sapit omnis & aestimat aulax,
Factu quid fuerit, ne caderemus, opus.
Omnia qui nescit, sedet arbiter, arguit illos,
Quos meriti extollit publica fama sui.
Quae possunt oculos horum effugisse Catonum,
Qui tanto instructi lumine cuncta vident?
Nec numquam caput est nec tectum a fulmine tutum,
Dextram nosse decet, quae cobibere potest.
His sub praesidiis a nullo fulmen aberrat,
In caput ut tectum detonet atque ferox.
Armorum Princeps, cui parent arma potentum,
His tandem postitis otia prisca dabit.*

Dextram

Dextram hasta, galeaque caput, latus exuēt ense,
Nubeque restituet diffugiente diem.
Spes animos laetans, dubiis comes optima rebus,
Solum in pacato Numine robur habet.

Dum scribo haec, hostis nostris e finibus exit,
Quin spoliū partem deserit ipse sui.
O faciles praebite pontes abitusque Virurgis!
Crescat & ad litus mitis olivae iunū!
Nostra tremunt dubio velut ebria pectora motu,
Firmatis sensim vitaeque spesque redit.
Cum lacrymis ferimus lacros ad sidera vultus,
Nempe Tui memores, o Deus! auxilii.

Sic animi TRILLERE iuvat componere fluctus.

Sic Tibi contigerit, composuisse tuos.

Qui viduos cernis thalamos bellique furores,
Leucoreaeque decus nuper ab igne ruens,

Quo nisi diuino suffultus robore mentis

Privata haec & tot publica damna feres?

Heu quoties trepidans respexi ad vulnera vestra,
Saepe memor Patriae, saepe Tuique memor.

Et tacite dixi: quis terminus ille malorum?

Quae mens percussis, quis color oris erit?

O utinam tam clara breui pax arua reuisit!

Gaudeat & priscais terra beata bonis!

Tu vero eiciens mordaces pectore curas

Quid non sub pedibus dixeris esse senum?

Quas non aerumnas spes atque silentia vincunt!

Spes confisa Deo, pollice vota premens.

Qui Te non vidi iam quadraginta per annos,

TRILLERE, amplexus totus anhelos tuos.

Cernere Te cupio curis rugisque carentem,

Dulcis erit vitae haec ultima scena. Vale.

Gottingae exeunte mense Februarii A. S. clolccclviii.

✱ ✱ ✱


VD-18

ULB Halle 3
006 817 750



78 V 11 [5-11]

79



AD

VIRVM ILLVSTREM

DANIELEM GVILIELMVM

LLERVM D

IVM AVLICVM REGIVM

CADEMIA VITTEBERGENSI

M MEDICINAE PRIMARIVM

AMICVM

RISCIS ACADEMICIS

E SOLVM SVPERSTITEM


LA DE TEMPÖRE

G. RICHTERI.



78 V 11 [5]

Ak



G. K. gen.

1954. 3. 1448